

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

- A** Vel, quoniam diligentissimus est rerum cumulator Polypus, intelligi posse arbitror, facultates omni quantumlibet cura & diligentia cōgestas, citò, vbi amore capti fuerimus, prodigi, in vtiliterq; dissipari. Quàm extemplo enim, ait Lyfiteles Plautinus, sævis sagittis percussus est, illicò res foras labitur, liquitur, & quæ sequuntur. Vel qui Delphinum amoris indicium esse ostendimus, Polypū versutię, dicere possemus, admoneri nos eo signo versutiam amanti cumprimis apprehendendam, & quod fieri solere Platò dicit, in amata rei mores transmigrandum, vti quippe Polypus in colorum mutationibus, provt vnicuiq; rei adhæserit, facit. Sederim ea potius de causa Veneri Polypum adsculpi existimandum, quòd inter pisces sit omnium salacissimus, adeoq; libidini deditus, vt nimio veneris vsu omnibus defectus viribus debilitetur, neq; iam ad cibum sibi conquirendum idoneus effectus, minimo negotio ab alijs capiatur, & à parvulis quibusq; pisciculis cancellis & cancris exedatur, observatum ab Æliano. Quinetiam aiunt eos ob huiusmodi nequitiam non amplius anno vivere, id quod eadem de causa passeribus etiam accidere tradit Aristoteles. Quin & Polypos etiam fœminas, propter crebros partus, ocysimè deficere. Quāquam aliquando repertus sit Polypus acetacei generis magnitudinem excreuisse, qualem illum Græci prædicant, qui Puteolis per subterraneum cauum ingressus noctu apothecam salamentorum plenam depopulabatur: eius enim amaritudinis avidissimos eos esse paulo antè ostendimus, donec re demum patefacta, vix à magno hominum numero confectus est.

HYEMALE SOLSTITIVM.

- A** Ad demus & illud, in manu scriptis Hori codicibus legi, δύο πολυπόδες ἑνωμένοι ἑκείνου καὶ βελτιότες δρόμον ἡλίου τὸν ἐν ταῖς χειμερίαις τροπαῖς σημαίνουσι quod est, duos Polypos vinculis coercitos, & progredientes tamē, cursum Solis quē in brumali conuersione peragit, significare. Quāquā impressorū codicū lectio, quæ est δύο πόδες, nequaquam displicet: sed si progressum exprimere volueris, videndū est, si pedes illigatos pinxeris, qua id ratione tuearis. At de hyemali cōuersione sermo est, quæ, vt in spheræ consideratione manifestè licet inspicere, progressum Solis omnino contatiorem ostendere videtur, in vltimis enim Sagittarij & primis Capricorni gradibus Sol ad horizontē vix loco dimoueri, aut quamlentissimè diurnos parallelōs conficere videtur. Ad cuius rei tarditatem accedit & eorundem parallelorū ijsdem fermè diebus repetitio, dum conuersione peragitur vt stare loco potius Sol, quàm quoquam motu suo progredi videatur. Quare siue pedes, siue Polypos colligatos accipere malueris, non sum admodum laboraturus: mihi satis fuerit, & codicum super hoc varietatem, & ipsam rei quæ significatur, historiam declarasse. Tu verò, quāquā cogitationes has nostras sublimi illa doctrina tua longè inferiores intelligas, pro summa tamen humanitate, qua præcipuè commendaris, despiciere haudquaquam velis. Nihil enim in rerum natura temerè à Deo factum, quiq; Deo, vt tu facis, propinquius adhærescunt, nihil quicquam aspernari debent, quod eodem, vnde originem traxerit, periodo quodam suo redire animaduertent.